

c. XII, h. t. certum est, quod notorie excommunicatus etiam non vitandus careat sepultura ecclesiastica, nisi eodem ab hac pena eximat ac relevet bulla Martini V. prout ipsi fatentur adversari; aliqui dicta bulla ab hac pena eumdem non relevat, cum in nullo, consequenter nec pena privationis sepulturæ eum relevare intendat: ergo. Nec refert, quod cessa ratio legis: quia etiam cessante expressa ratione legis, non cessat lex ipsa, quando ita jus ipsum declarat (prout fit in proposito) quia tunc tacite innuit, præter expressam esse adhuc et latere aliam rationem legis, qualis in casu nostro facile esse potest odium excommunicati.

Illud tamen velut certum ab omnibus conceditur, quod occulte excommunicato sepultura ecclesiastica deneganda non sit: cum etiam privatio sepultura sit publica, requirit causam publicam, ne alias, qui publice habetur bonus, hac via infametur; prout etiam in *Theologia Morali* nostra loc. cit. jam diximus.

86. *Suicidæ etiam privantur sepultura.* — Undecimo, sepultura ecclesiastica privantur, qui ex impatientia, ira, tædio vita, desperatione, vel alia simili causa se ipsos occidunt. Farinac., in *Praxi criminal.* q. 128, n. 17; Sannig, h. t. cap. iv, n. 3; Covarruvias, *Variar. resolut.* lib. II, cap. I, n. 11; Pirhing, h. t. n. 64. et communis aliorum, arg. can. *Placuit.* 12. cau. 23. q. 5. ibi: « Placuit, ut qui sibi ipsi voluntarie aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitum, aut per suspendum, vel quolibet modo violentam inferunt mortem, etc. ad sepulturam eorum cadavera non deducantur. » *Glossa*, ibid. ¶ *Ad sepulturam.* Ratio est, quia qui se ipsos occidunt, in peccato mortali decedunt, can. *Si non licet.* 9. cau. 23. q. 5. ita autem dece- dentes sepultura sacra non gaudent, ut statim dicetur infra.

87. *Limitatur tamen in aliquibus casibus.* — Limitant tamen doctores citati cum Sylvester, ¶ *Sepulturam.* q. 9. et communi aliorum, I. in casu, quo quis ex amentia, vel mentis alienatione se ipsum interimit, quia talis utpote ratione privatus non peccat. II. in casu, quo quis absque intentione se occidendi, sed vel mortem, vel aliud grave malum evadendi, in manifestum mortis periculum se conjicit: prout fit, si quis ad declinandas flamas conflagrantis domus e fenestra se præcipitat, etsi per accidens dein in tali periculo pereat. Ratio est; quia, uti

supponitur, talis nullatenus se occidere cogitat, sed mortem etiam in periculo, in quod se conjicit, evadere adhuc aliqualiter saltem sperat: consequenter mors per accidentem subsecuta eidem ad culpam imputari, sive ipse sepultura privari non debet, uti bene observat *Glossa*, in c. *Ex parte.* 11. h. t. ¶ *Non sponte.* Secus foret, si absque spe evadendi simile quid attentaret; quia tunc intentionem se ipsum occidendi in periculum se conjiceret censeretur, arg. cit. c. XI. h. t. et ibi *Glossa* citata: nisi forsitan talis subesse causa, ex qua se ipsum indirecte occidere licet: de cuiusmodi causis vide apud *Theologos*, et in *Theologia nostra morali*, tr. IX. dist. 3. n. 11.

88. *Limitatur III.* Si quis animo se occidendi lethaliter quidem se vulneravit, et mortem tamen adhuc se penituit; Sylvester. loc. cit. n. 9; Pirhing, h. t. n. 65; Konig, eod. n. 10. et alii, arg. c. II. et IV. de *Statu monach.* et c. *Is cui.* 20 de *Sentent. Excomm.* in 6. ubi pariter sepultura conceditur, alias privatis, si in morte eos peniteat. Ratio est, quia talis in peccato mortali non decedit.

89. Porro observat ad propositum Barbosa, de *Offic. et potest. paroch.* p. 3. cap. xxvi. n. 49; Covarruvias, lib. II. *Variar. resolut.* cap. I. n. 11; Pirhing, h. t. n. 65; Socinus, jun. consil. 51, lib. I; Navarrus, lib. III, consil. 7, h. t.; Konig, loc. cit. et alii, quod si quis reperiatur in flumine vel puto submersus, vel laqueo suspensus, veneno, antefero interfectus, sepultura privari non debet, nisi aliunde constet, quod se ipsum occiderit; id quod in dubio presumendum non est: cum in dubio delictum praesertim tam grave de nemine presumatur, l. *Merito.* 51. ff. *Pro socio.* Accedit, quod potuerit talis per insidas, aut vi per alium in flumen præcipitari, aut suspendi: aut ex amentia, vel mentis alienatione se ipsum occidere, uti bene advertunt doctores citati. Secus foret, si mentis compos prius jam ex tædio vita, impatientia, desperatione, vel alia simili causa cogitationes, et consilia se ipsum occidenti agitasset: vel si ex circumstantiis manifeste appareret, quod a nullo alio, quam a se ipso sibi bene praesente interfectus fuerit.

90. *Sepultura privantur omnes in notorio peccato mortali decedentes.* — Duodecimo, tandem omnes sepultura sacra privantur, qui in notorio, ac certo peccato mortali absque penitentia decedunt, et habet communis et certa, cum *Glossa*, in c. *Ex parte.* 11

h. t. ¶ *Communicabitur.* arg. can. *Quibus peccata.* 16. can. 13. q. 2. can. *Non aestinemus.* 19. et can. *Pro obeuntibus.* 21. ead. can. et seqq. Hinc, qui in actuali furto, rapina, fornicatione, adulterio occiduntur, in loco sacro non sepeliuntur arg. cit. *Juribus.*

91. *Si excommunicatus denuntiatus, aut infidelis sepelitur in loco sacro, polluitur ecclesia, debetque corpus iterum exhumari.* — Quæritur II. Quid juris, si quis *juxta* sacros Canones sepeliura indignus sepeliatur in loco sacro? An nempe, et quando iterum exhumari, et locus reconciliari debeat? Resp. I. Si publicus clerici percussor, aut excommunicatus denuntiatus, vel infidelis aut paganus sepelitur in loco sacro, polluitur ecclesia; debetque iterum exhumari, si ossa discerni possunt, et ecclesia reconciliari; quod donec fiat, nemo interea ibidem sepeliri potest. Prima pars de excommunicato est certa apud omnes textu claro c. *Sacris.* 12. h. t. et c. *Consulisti.* 7. de *Consecrat. eccles.* De infidelibus tenet communissima doctorum, ut videtur est apud Barbosam, in can. *Ecclesiam.* 27. de *Consecrat.* dist. 1; patetque manifeste et cit. can. 27, et 28. de *Consecr.* dist. 1. ibi: « Evulsis corporibus, » etc. Quod autem ante reconciliationem nemo sepeliri ibidem possit, expresse deciditur c. un. de *Consecrat. eccles.* in 6.

92. *An etiam reliqui indigni exhumari debant, est controversia.* — Resp. II. Utrum reliqui *juxta* sacros Canones sepultura indigni exhumari debant, casu quo in loco sacro sepeliuntur, nihil certum habetur in jure. Quamvis enim affirmativam teneant Vallensis, h. t. n. 4. et 5; Sannig, eod. cap. IV. n. 4. quibuscum consentire videtur Engel, h. t. n. 18. ubi ait quemvis haereticum iterum exhumari debere, et Parmacius in *Praxi criminal.* q. 128. n. 17. solidum tamen ex jure non afferunt fundamentum: quia c. XII. h. t. et c. VII. de *Consecrat. Eccles.* quod allegant, solummodo de excommunicatis vivi tardi loquuntur. Ratio nihilominus esse posset; quia hoc ipso, quod loco sacro per sacros Canones reputentur indigni, ibidem tolerari non debent. Nec videtur major ratio, cur cadaver infidelis debeat exhumari, et non cadaver alicujus se ipsum occidentis, vel in peccato notorio mortali decedentis eic. Si dicis, rationem, ob quam excommunicati denuntiati, ac infideles debeant exhumari, esse, quod quia cum illis adhuc vivis non communicavimus, nec cum mortuis com-

municare possimus, arg. c. *Sacris.* 12. h. t. Contra est: tum quod cum infidelibus vivis communicare non sit prohibitum: tum quod multis aliis communicare in vivis liceat, qui tamen sepeliri in loco sacro non possunt; ut patet de usurariis, manifestis peccatoribus, etc.; ergo disparitas data nihil probat. Fave huic doctrinæ specialiter etiam c. II. de *Hæreticis* in 6. ubi omnes sepelientes haereticum quemcunque tardi excommunicatione subjacent, donec sepultum iterum extulent, ut proin saltem de notoriis haereticis sententia juri conformior sit, eos exhumari debere, præsertim, quod isti notorie etiam sint excommunicati; hi vero exhumari iterum debeant, etsi denuntiati non sint, *juxta dicta* n. 85.

93. *Certum tamen, quod per hos ecclesia non polluantur.* — Illud certius est Ecclesiam per sepulturam talium indignorum (exceptis persecutoribus clericorum notoriis, et excommunicatis denuntiatis; imo conformiter dictis n. 83. etiam non denuntiatis; notoriis tam non pollui; prout magis dicemus infra) XL. de *Consecratione ecclesie*, ubi etiar modum reconciliandi afferemus.

94. *Pœnas sepelientis indignum, quæ?* — Quæritur III. Quas pœnas incurunt, qui in digno, in loco sacro sepeliunt? Responde ad quæsumum Clemens V. Clem. 1. h. t. illi verbis: « Eos, qui propriæ temeritatis audacia, defunctorum corpora, non sine contemptu clavium Ecclesiae, in coemeteriis interdicti tempore, in casibus non concessis e jure, vel excommunicatos publice, et nominatim interdictos, vel usurarios manifestos scienter sepelire presumunt, decernimus ipso facto excommunicationis sententiæ sub jacere etc. nullo eis exemptionis, vel quovis alio privilegio sub quacunque verborum formula concessso aliqualiter suffragante. » Eadem excommunicationis pœna statuitur « inscriter sepelientem haereticos, credentes, receptores, vel fautores eorum. » c. 2. de *Hæreticis* in 6.

95. Ex quibus verbis doctorum cum *Glossa*, in cit. Clem. inserunt, dictæ pœnæ excommunicationis solos et omnes etiam exemptos et privilegiatos subjacere, qui vel aliquem tempore interdicti, vel excommunicatum publice, vel personaliter nominaliter interdictum, vel manifestum usurarium, vel haereticum, aut ejus defensorem, fautorem, vel receptorem, non item qui suicidam, vel decedentem in peccato mortali, vel infantem

non baptizatum etc. sepeliunt. Ratio est, quia lex haec utpote penalis ultra casus et personas expressas non est extendenda, prout amplius diximus. lib. I. tit. II. de *Constit.* § 19, a. n. 427. A qua tamen pena etiam et praefatis aliquem sepelientes excusantur, qui ex ignorantia, vel gravi metu coacti id faciunt, arg. cit. Clem. et c. II. de *Haret.* in 6. ibi: « Qui scienter, et proprie temeritatis audacia presumunt. » Pirhing, h. t. n. 79; Glossa, ibid. ¶. *Scienter.* Item illi, qui tempore interdicti sepeliunt in easibus a jure concessis: veluti si clerici servantes interdictum, in secreto sine campanarum pulsu, aut privilegiati confratrem sepeliunt. Glossa, ibid. ¶. *a Jure.*

96. *Per sepelientes quinam intelligantur?* — Porro quinam per sepelientes hinc intelligentur, optat Glossa, in cit. Clem. I. h. t. ¶. *Sepelire.* declarationem principis. Anchiaranus tamen in cit. Clem. I. h. t. n. 40; Pirhing, h. t. n. 80. et alii volunt, huic poenae subjacere non tantum, qui propriis manibus mortuum in sepulcrum immittunt, sique materialiter sepeliunt, sed etiam qui procurant, mandant, aut concedunt, uti rectores, aut parochi ecclesiarum; secuti et qui exequuntur sepulturam: item juxta Anchiaranum loc. cit. dissentiente Pirhing, qui comitantur funus, crocem portant, luminaria deferunt, sepulcrum aperiunt, etc. Ratio est, quia omnes isti participant in crimen criminoso, consequenter omnes dictæ poenae subjacent, arg. c. *Nuper. de Sentent. excommunicat.*

97. Ceterum licet pro sepelientibus reliquos non specificatos indignos nulla certa reperiatur pena in jure, peccant tamen mortaliter, utpote in gravi causa agentes contra prohibitionem Ecclesiae, et subjacent arbitrarie penae ab episcopo infligendae, utpote qui potest quovis transgressores legum ecclesiasticarum punire. (ADNOTATIONES XLII et XLIII.)

## TITULUS XXIX.

## De Paroichiis et alienis Parochianis.

1. *Ratio continuationis.* — Quandoquidem sepultura in ecclesia parochiali est peragen-  
da, nisi alia eligatur, vel habeatur sepulta-

ra majorum; hinc compilator canonicum præcedendi titulo *de Sepulturis præsentem de Paroichiis* merito subjungit.

2. *Parochia improprie sumpta, quid, et unde?* — Queritur I. Quid sit paroquia? a quo erigi possit? et quæ ad eam constitutam requirantur? Ante responsionem notandum, parochia duplē esse acceptiōnem in jure. Aliquando enim accipitur, sed improprie, pro tota diœcesi, ut patet ex can. Si quis. 4, et duobus seqq. dist. 92, et c. *Ad Apostolicæ de Decimis.* ibi: « De parochia unius episcopi in diœcesin alterius. » Unde etiam parochianus pro diœcesano sumitur. c. III. h. t. ibi: « Nullus episcopus alterius parochianum judicare presumat. » Regulat autem ac proprie loquendo sumitur, ut indicat conclusio sequens.

3. *Parochia proprie sumpta, quid, et unde?* — Resp. I. Parochia, quæ alias etiam paro-  
cia dicitur, est certum territorium, seu dis-  
trictus per Papam, vel episcopum determi-  
natus, habens unum rectorem stabilem cum  
potestate populum ibidem existentem re-  
gendi et judicandi, eique sacramenta, alia-  
que divina administrandi. Additur « per Pa-  
pam vel episcopum determinatus: » quia quævis parochia habet certos ac determina-  
tos limites, certumque assignatum, ab alijs  
distinctum districtum, intra quem, et non  
extra jurisdictionem in foro penitentiali ha-  
bet, et exercere potest parochus. arg. c. I.  
cau. 43. q. 4. Pro quo sciendum, quod licet  
olim curam animarum totius diœcesis solus  
episcopus per sacerdotes pro suo libitu mis-  
sus, et ad nutum amovibiles administrari,  
assignatis cuivis laboranti sacerdoti iis sus-  
tentationis mediis, quæ episcopus pro tali  
judicaverat sufficientia, ut propterea tota  
diœcesi merito diceretur paroquia, arg. cit.  
*Juribus.* n. præced. Tamen, quia successa  
temporis experientia docebat, hunc regendi  
modum ob multitudinem populi continuo  
crescentem, et ob alia incomoda minus  
proficuum esse ac utilē reipublicæ christia-  
næ, quilibet diœcesis secata et partita fuit  
in plures Ecclesiae parochiales seu parochias  
assignato cuivis earum certo ac stabili re-  
tore, seu parocho, qui intra illam parochiam  
seu certum sibi assignatum districtum, po-  
pulum ibidem existentem in spiritualibus  
debile pasceret, et regeret. Unde ab hac  
partitione nomine parochia derivatum putat  
Abbas, in *Rubr.* h. t. n. 1. ut parochia idem  
sit, ac parolio curia; quamvis alii aliam de-

missionem afferant: ut videtur est apud Vai-  
lensem, h. t. Praeter divisionem parocharum  
divisa sunt etiam bona mere ecclesiastica,  
prius soli dispensationi episcoporum com-  
missa, assignatis cuivi parochorum suæ pa-  
rochiae decimis, una cum reliquis juribus  
parochialibus, in quibus infra n. 9. Idque  
totum patet ex can. 1. cau. 43. q. 1. ubi ita  
narrat Dionysius Papa: « Ecclesiæ singulas  
singulis presbyteris dedimus parochias et  
coemeteria eis divisimus: et unicuique jus  
proprium habere statuimus ita, videlicet, ut  
nullus alterius parochie termines, aut jas-  
invadat, sed sit unusquisque suis terminis  
contentus, et taliter ecclesiam, et plebem si-  
bi commissam custodiat. »

4. *Parochias erigere et dividere præter Pa-  
pam solus potest, et debet episcopus.* — Porro  
dicitur notanter in definitione parochia, « per Papam, vel episcopum, » ad innuen-  
dum, quod nemo, nisi Papa, vel episcopus  
parochias erigare possit, prout colligitur ex  
can. *Nullus omnino.* 11. cau. 16. q. 7. et doc-  
et ibi Barbosa cum communi DD. Accedit  
novissima constitutio concilii Tridentini,  
sess. 24. de *Reform.* cap. xiii. ubi mandat  
etiam sacra synodus episcopis, « ut in iis  
civitatibus et locis, ubi nulle sunt parochia-  
les Ecclesiae, quamprimum fieri curent, non  
obstantibus privilegiis quibuscumque et con-  
suetudinibus etiam immemorabilibus. » Eam-  
dem potestatem parochias erigendi adhuc  
magis auget idem concilium Tridentinum,  
sess. 21. de *Reform.* cap. iv. ubi ulterius  
episcopis concedit, quod etiam nimis amplas  
parochias dividere valeant, imo ut dividant,  
mandat, casu quod id necessarium videtur,  
verba relatu digna sunt sequentia: « Epis-  
copi etiam tanquam apostolicæ Sedis dele-  
gati, in omnibus ecclesiis parochialibus, vel  
baptismalibus, in quibus populus ita nume-  
rosus est, ut unus rector non possit sufficere  
ecclesiasticis sacramentis administrandis, et  
cultui divino peragendo, cogant rectores,  
vel alios, ad quos pertinet sibi tot sacerdotes  
ad hoc munus adjungere, quot sufficient ad  
sacramenta exhibenda, et cultum divinum  
celebrandum. In iis vero, in quibus ob loco-  
rum distantiarum sive difficultatem parochianæ  
ne magno et incommodo ad percipienda  
sacramenta, et divina officia audienda acce-  
dere non possunt, novas parochias etiam in-  
vitis rectoribus juxta formam constitutionis  
Alexandri III. Quæ incipit, *Ad audientiam,*  
constituere possint. Illis autem sacerdotibus

qui de novo erunt ecclesiis noviter erectis  
præficiendi, competens assignetur portio ar-  
bitrio episcopi ex fructibus ad Ecclesiam  
matricem quomodounque pertinentibus: et  
si necesse fuerit, compellere possit populum:  
ea subministrare, quæ sufficiant ad vitam  
dictorum sacerdotum sustentandam non ob-  
stantibus quibuscumque, » etc. Formam, ad  
quam se remittit concilium parochiam divi-  
dendi, exhibet, c. *Ad Audientiam.* 3. de *Ec-  
clesiæ adficand.* quod lege.

5. *Parochus non est ad nutum amovibilis.  
habet varia nomina.* — Dicitur ulterius « ba-  
bens unum rectorem stabilem, » quia am-  
plius ut olim non ad nutum amovibilis, sed  
stabilis ac perpetuus præest ac instituitur in  
quavis parochia rector, qui ordinarie voca-  
tur parochus juxta concilium Tridentinum,  
loc. cit. subinde vero « Rector Ecclesiae pa-  
rochialis, » dicto concilio Trident. Olim  
etiam plebanus dicebatur, c. *Scriptum.* 40.  
de *Elect.* a plebe seu populo, qui sub ejus-  
dem cura spirituali in parochia degit. Non-  
nunquam « Sacerdos proprius, » c. *Omnis  
utriusque.* 12. de *Penit.* et remiss. Aliquando  
etiam capellanus, tunc nempe, quando in  
Ecclesia monachorum curam gerit, c. I. de  
*Capellis monachor.* Frequenter etiam curatus  
a cura spirituali, qua commissum sibi popu-  
lum regit. Regulariter autem et ordinarie, ut  
dictum, hodie parochus appellatur. Reliqua  
verba adduntur ad indicandum officium et  
potestatem parochi.

6. *Ad parochiam requiritur primo, ut au-  
toritate episcopi sit erecta. Secundo, ut habeat  
certum districtum, ac populum. —* Resp. II.  
Plura requiruntur ad constitutionem paro-  
chia, seu ad hoc, ut Ecclesia aliqua dicatur,  
sit, et probetur parochialis. Et quidem pri-  
mo requiritur, ut auctoritate Papæ, vel epis-  
copi sit erecta, prout patet ex dictis n. 4.  
Præsumitur autem erecta episcopi auctorita-  
te, ex lapsu temporis, quo rector Ecclesiae  
officia peregit, sacramenta administravit, ac  
reliqua parochialia præstavit, et recepit,  
Afflict. decis. 368. n. 5; Barbosa, *de Offic.* et  
potest. paroch. p. 1. cap. I. n. 39. et alii ab  
eodem citati.

Secundo requiritur certus locus, ac distric-  
tus cum certis limitibus ab episcopo deter-  
minatis juxta dicta n. 3, arg. can. 4, cau.  
13. q. 4. In quo loco decem saltē esse de-  
bent mancipia, seu, ut alii legunt, municipia,  
id est domus aut familiæ, can. *Unio.* 3,  
cau. 10. q. 3. ubi statuitur, « Ut Ecclesia